

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE
**HÆMORRHAGIARUM
COMPLICATIONE,**

**Von Blutflüssen welche aus verschiedenen Orten
zugleich ausbrechen,**

Quam
AUSPICE DEO PROPITIO,
Et Consensu atque Auctoritate Gratiſſa Facultatis Medicæ,
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,
PRÆSIDE

DN. D. MICHAELE ALBERTI,

SACR. MAJ. REG. BORUSS. AULICO ET CONSIST. MAGDEB.
CONSILIARIO SENIORE, MED. ET PHILOS. NATUR. PROFES-
SORE PUBLICO ORDINARIO, ALUMNORUM REGIORUM
EPHORO SENIORE ORDIN. MEDIC. H. T. DECANO,

FACULT. MEDICÆ SENIORE, DECANO SUO SPECTATISSIMO,
Domino Patro, Præceptore, ac Promotore suo, omni honoris cultu prosequendo

PRO GRADU DOCTORIS
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS
DOCTORALIBUS LEGITIME MORE MAJORUM IMPETRANDIS,

ANNO MDCCLII. D. MAIL.

HORIS LOCOQUE CONSUEVIS

PUBLICÆ AC PLACIDÆ ERUDITORUM VENTILATIONI SUBJICIET

RESPONDENS

GOTTFRIED CHRISTIAN WILFROTH
BARBYENSIS SAXO.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,
TYPIS JOH. CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.

DISSERTATIO IN ANATOMIA MEDICA

DE

HÆMORRHOÏDUM

CAUSIS

et ceteris quæ ad hæmorrhoidum causam pertinent

AVD. MICHAELIS ALBERTI

Medici et Chirurgi

in Alma Matre Universitate Lipsiensi

publicè defendendæ

die Martii 1771

Michaelis Alberti

scripsit

Lipsiæ

apud Johannem Neumannii

librarium





PROOEMIUM.



Uam honorifica & plane Sacra Sanguinis sit æstimatio atque dignitas, multæ testantur rationes, e quibus præcipue primatum tenet connata ejus veneratio, ut illum inspicientes, quasi animam vitam, vires omniumque facultatum in œconomia animali complexum, si non secundum triviale & plebejam opinionem gazophylacium spirituum, observasse gloriantur: hinc antiquorum imprimis Philosophorum traditio innouit, quod Sanguis pro anima agnoscendus sit, quod sanguis sentiat, quod sit instrumentum animæ, quod hujus motum & dominium sequatur, quod sit vehiculum & receptaculum, sedes & tabernaculum animæ; ob id BARTHOLINUS de Sanguine vetito p. 28. 29. inquit: *Naturæ quodam instinctu sanguinem averfamur: id constat, naturæ quandam aversionem e sanguine*

guine extravasato significari, adeoque naturæ esse pænam, quædocunque extra propria receptacula prodit: quicquid igitur unquam memorabile, ominosum, prodigiosum & formidulosum contigit, sanguineo illo æstimabili colore sese distinxit; huc pertinet provocatio BARTHOLINI l.c. differentis: inter sinistra omnia, velut naturæ adversa & prodigia omnino inter omnes habitus est sanguis; huc referri merentur exempla fluviorum, rivulorum, sudorum, pluviarum, roris, nubium, esculentorum, potulentorum, pororum effluorum, meteororum sanguineo colore notatorum: qua de causa hunc vitalem, nobilem & quasi vivificantem humorem in ordine naturali magis asservandum, quam evacuandum & profundendum esse, facile judicare licet, siquidem in machina corporis humani varia organa, receptacula, conceptacula, diverticula, matrices, canales, alvei & meatus, reperiuntur, in quibus pretiosus ille humor, cursum, progressum & circuitum suum servare & continuare potest: Ideo observantur in historia medica tales homines, qui larga sanguinis copia præditi, absque ulla ejus aut spontanea, aut artificiali subsidiaria subtractione & depletione commode & comparate vegete vitam transegerunt: Quare illi qui superfluam, suspectam & perniciosam sanguinis abundantiam in dubium vocant, aut plane inficiantur, e ficulneis & ludicris dicitur v.g. Deum & naturam nihil frustra facere, ergo nec sanguinem, qui thesaurus vitæ esse traditur, naturam non abundare in superfluis, nec deficere in necessariis, superflua non

non abundare &c. naturalem & artificialem sanguinis imminutionem improbant & dissuadent. Quam venerabilis apud multos sanguis est, ut cum VIRGILIO *purpuream* nominent *animam* & per Syncretismum illum appellent Vehiculum irrationalis animæ, (quod sit *nectar vivificum, quo partium omnium vivacitas recreatur* & ad vitæ ac animalitatis conservationem diuturnitatemque maxime necessarium, sentiente DURETO in *Coacis c. 12. in comm. text. 4.*) tamen verus istiusmodi animæ, ratione aut mente destituta, sensus obscurus, fictivus & contradictorius est: quo pertinet LACTANTIUM exceptio *L. de Opificio Dei cap. 17. si anima sanguine, aut per vulnus effuso, aut febrium calore consumto, videtur exstingui, continuo in materia sanguinis animæ rationem esse ponendam:* & quamvis sanguis animæ motum sequatur, teste Roder. a CASTRO de *Meteor. Microcosm. Lib. 2. c. 15. p. 84.* incuitu Morum potentiorum, inclinationum & desideriorum flagrantium & concitatorum, nec non Affectuum patheticorum, atamen inter utrumque essentialis & virtualis eminens intercedit differentia. Quemadmodum & juxta HIPPOCRATEM ad *sapientiam* aliquid confert, subinde autem in œconomia vitali similem tranquillum, regularem & pacatum ordinem, sub congrua instrumentali corporis dispositione, quoad continuum suum progressum, itum, transitum & reditum, una cum connexis, ad integritatem, sanitatem & conservationem contribuentibus functionibus, servat, ut respectiva ejus bona temperies, quoad mixtionem & consisten-

sistentiam multum ad animi serenitatem & corporis salubritatem conferat, proptereaque plurimi homines, qui non barbarum, crudelem & sanguinolentum fovent & sequuntur affectum, de sanguinis ubertate, puritate & incolumitate solliciti deprehendantur, adeo ut illi, qui ad senectutis limites & limina appropinquant, vel sanguinis subtractionem perhorrescant & averfentur, vel ejus uberiolem collectionem urgeant & desiderent: sicut inquam, hæc omnia & multa alia in sanguinis existimationem, gloriam & encomium allegantur, tamen vicissim multæ contrariæ observantur qualitates & vicissitudines, quæ de sanguine, tanquam Pandoræ pyxide & Lerna malorum, multa incommoda, molestias, damna & morborum ac mortis varia schemata & specimina prædicare & derivare jubent. In naturali quidem statu sanguis sub toto vitæ processu nunquam in otio hæreere, sed in indefinente æquali & temperato motu atque progressu versari debet, ita ut per universum corporis systema circulare teneatur, nec ullibi fixam sedem habeat, sed ministrantem suum usum nunc mediate, nunc immediate singulis organis præbeat, ipsisque etiam ex sanguinis ita dictis partibus indirecte eminusve interserviat, inde sub justa interpretatione in sanguine vis, vigor, robur, calor, vita & sanitas naturalis comprehendantur, proptereaque *Arsuræ* præcipue medici sanguinem appellaverint thesaurum & collectaculum vitæ viriumque: in eodem autem naturali statu contingit, ut sub perenni motu sanguinis talia forte eveniant & oriantur, quæ viva, viva.

vivacitati & sanitatis integritati contrariari videntur: *vid. D.N.D. PRÆSIDIS disp. de vitæ & mortis commercio*, quando indies diu noctuque quadam oriuntur, alia moriuntur, nonnulla generantur, alia corrumpuntur. In præternaturali vicissim statu sanguis inquietum subiectum & quasi malum quoddam vocari potest, dum interdum argentes ebullitiones aut orgasticas commotiones, particulares congestiones, anxietates præcordiales, ardores, dolores, rubores, angores, aliquando suspectas stagnationes, stases, obstructions, concretiones, immoderatos conatus eruptionis, quin plane actuales perruptiones & fluxiones, nunc introrsum, modo extrorsum succedentes, mox excedentes, alibi deficientes, aut inordinate & perverse procedentes, jam e congruis, aliter incongruis locis decurrentes, interdum ex uno, aliquando iterum e pluribus regionibus ac partibus irruentes, causatur & subit. Quoniam autem inter varias qualitates, sanguinis spontaneas evacuationes concernentes, hæc præcipue observatio memorabilis & momentosa est, quod sanguis, adeo concitatus atque inquietus, e pluribus locis uno conjuncto immoderato impetu irrumpat & effluat, eam ob rationem digna nobis hæc observatio visa fuit, ut præsentè Inaugurali themate & specimine de **HÆMORRHAGIARUM COMPLICATIONE** differamus: cui proposito, ut cœlestis directio & benedictio prosperos largiatur successus, hoc introitu ardentibus votis precamur.

§. I.

§. I.

Hæmorrhagiarum negotium & Processus in Historia morborum medica, unus præcipuorum existit, dum non solum frequentius accidit, sed variis speciebus se distinguit, subinde varias individuales qualitates assumit, ut & pro discrimine causarum immaterialium sive moralium, nec non constitutionis corporis, sanguinis plus minus abundantis, valde mobilis & ad orgasmum proclivis, fibrarum motricium valde flexilium, vasorum sanguiferorum aut tenerorum & angustorum, aut amplorum, maiorum & capacium, curis & membranarum gracilium & tenerarum &c. &c. nunc facile, largiter & prodige, nunc moderate & temperate, nunc denique intemperate, vage & turbulente progreditur. Et quidam attentione & admiratione dignæ sint illæ Hæmorrhagiæ, quæ ex insolitis viis proveniunt, & immutatis naribus, uterinis & sedalibus locis, aliunde erumpunt, & defectum solitarum & usitatarum viarum singulari directione, inventione & selectione compensant; quæ memoratu digna observatio aliquoties alibi commendata & explicata prostat, ut ob defectum ac impossibilitatem sobriæ, luculentæ, & congruæ demonstrationis absolute mechanicæ ad castra & protectorium naturæ confugere necessitas urgeat: nec sanæ ratio permittit in mirabili Hæmorrhagiarum contemplatione ad fabulosum prodigia provocare, quando iuxta Rabbinicam fictionem, aut narratiunculam asseritur, statuam salis, in quam uxor Loti conversa, adhuc menstrua pati vid. Athanasius KIRCHERUS in Mundo subterr. Lib. 6. Sect. I. c. 4. Tb. BARTHOLINUS de Morb. bibl. c. 3. p. 7. sq. SAUBERTI disp. de Statua salis c. 2. f. 19. Cæso

Cæſo GRAMMIUS *diſp. de Metamorph. uxoris Lotbi quæſt. 2.*
Erasm. FRANCISCI Oſtindianiſcher Luſtgarten P. I. pag. 197.
FRANCKENAU Satyr. med. Satyr. VI. p. 98. illa vero in ve-
 ritate facti fundata obſervatio notatu utique digna eſt,
 quod e minima apertura, aut exiguo vulnuſculo enormes,
 aut plane lethales contigerint Hæmorrhagiæ: quis quæſo
 commemoret omnes illas hiftorias, quæ de Cruentatione
 gingivarum fere incoercibili, aut penitus mortifera teſti-
 monium perhibent: quam dolendæ & prodigæ ſanguinis
 profuſiones e minimo vulnuſculo, cum acuminato instru-
 mento ſiſſicto, eveniant, uberrima obſervatione compro-
 batum eſt; hinc *tragicæ* interdum tales accidunt caſus, ut
 ex exiguo oſtio omnis fere quantitas ſanguinis, quæ in to-
 to corpore antea diſtributa fuerat, nunc uno ſucceſſu, ac ita
 cruenta aut purpurea anima profundatur: huc quadrat
 obſervatio, quam allegat *Commerc. litter. Ann. 1740. hebdom.*
26. pag. 204. de Hæmorrhagia e poro inviſibili digiti pedis
ſpontanea in viro 50. annorum; analogum caſum allegat Caſp.
REJES. in Camp. Elyſ. juc. quæſt. 86. n. 9. de hæmorrhagia
larga critica per porum juxta radicem pollicis in pede, ex
Zacut. LUSIT. Prax. admir. L. 3. Pertinet huc obſerva-
 tio, quam LANGIUS *Epift. 40.* recenſet, de vulnuſculo ſcarifi-
 cationis, unde ſanguis deſluens nullis remediis cobiberi po-
 tuit, nec poſt mortem ſtillare deſiit: quales ſingulares caſus,
 in Hiſtoria medica paſſim occurrentes & attentis ac judi-
 cioſis medicis ſatis cogniti, ex abundanti confirmant,
 quam *variæ cauſæ, ac viæ, diſcreti & diverſi modi,* ad mira-
 bilem & memorabilem ſanguinis eruptionem contribuant
 pateantque: *Matth. CORNARIUS Lib. 1. encbir. c. 3.* refert,
 quod nobili alicui juveni, ob adſpectum honeſtæ viduæ

B

cuius

cuius nuptias ambiebat, ex flagrante amore & verecundia vena in temporali regione sponte aperta fuerit, unde copiosissime sanguis effluxit: præterea de *Alexandro Magno* commemorat *Petrus BOVESTIVS* in *tr. de hominis excellentia*, quod cum ardenti animi conatu in pugna adversus Indos decertaverit, militesque suos deficere conspexerit, usque adeo ira ipse accensus est, ut sanguinem e toto corpore exsudaverit, ac copiose effuderit: quibus paucis exemplis id duntaxat præliminari disquisitione confirmare volumus, quod extraordinario plane minusque usitato modo ob causas prægnantes morales & physicas in certis & selectis individuis, animi & corporis qualitatibus specialibus & personalibus instructis & distinctis, nulla fere via præclusa sit, unde sanguis qualitercunque molestus, odiosus & onerosus evacuari queat, ita tamen, ut non ab uno, aut particulari ad omnes & universim concludere liceat.

§. II.

Præmissa hac generali præparatione, nunc *Hæmorrhagarum Complicationem* indicabimus & explicabimus; illa igitur est *Sanguinis perruptio & effusio spontanea e diversis pluribusve locis vel simul, aut coniunctim, vel proxima & præsentanea alternatione extra corpus succedens*: ideoque talis fluxus sanguinis numero augetur & multiplicatur & varia organa excretoria in triplici præcipue corporis humani cavitate, aut ventre occupat, ut collectiva æstimatione in brevi temporis termino excessivo modo multa, si non plurima sanguinis copia profundatur: subinde tale profluvium simul uno impetu absque ulla mora, remissione aut intermissione continuat, interdum mox ex uno, modo alio loco alternative progreditur, unde emi-
nens

nens evidensque *consensus*, combinatio & *complicatio* apparet: quod ad *loca* attinet, unde sanguis affatim & strenue effluit, tunc illa vel *usitata* & *sec. familiarem* & crebram observationem *communis* sunt, velut *nares, pulmones, ventriculus, uterus, viæ urinariæ, loca sedalia*, sed etiam *alia insolita*, quasi *nova & inusitata*, utpote *oculi, aures, mammae, umbilicus, loca genitalia*: ex hisce igitur partibus & regionibus sæpe sanguis perquam *tenuis & fluidus*, aut ex pluribus earum *conjunctim*, vel si ex *uno* eorum fluere paululum *cessat*, mox ex *alio* erumpere & succedere continuat. *Subiecta*, quæ ejusmodi gravi affectui obnoxia redduntur, *juniora & viribus* adhuc alacribus instructa sunt, utriusque *sexus*, Temperamenti *Sanguineo-Melancholici*, aut *Sanguineo-Cholerici*, structuræ aut constitutionis corporis *gracilioris & flexilioris*, habitus aut conspiciæ aut *laticantis Pletborici*, a *Parentibus hæmorrhagicis* interdem similem dispositionem *hereditariam* continentia, *prægressis actualibus simplicibus temperatis Hæmorrhagiis adjecta*, in *dieta*, si non *lauta & generosa*, tamen *satura & nutriente* viventia, *sanitate* nonnunquam *mediocri* fruëntia, *concoctionis & sanguificationis* functionem *prompte* subeüntia, in *mobili* vitæ genere *degentia*, aliquando *intensiores* morus corporis *exercëntia*, *animo* quidem interdum *apparenter* tranquillo instructa, attamen *internos clandestinos* affectus *patheticos* occultantia: eadem *subiecta* quoad nonnullas *alias excretiones*, alvi *imprimis & urinæ, irregulares* quandoque experiuntur *successus*, unde *conatus hæmorrhagici* facilius in *diversa* evagantur *loca & excretoria*; in *fæminis* præcipue *anomalus Mensum* status huc pariter contribuit: quoad *mores* ad talem omino-

sam complicationem disponunt *ira* manifesta, *testa* indignatio, *amor*, *verecundia*, *occulta*, aut *flagrantia desideria*, *sollicitudo*, *lucubratio*, *strenua* & *operosa* facultatum animi *exercitatio*, *coacta* studiorum & *mentis* operationum *prosecutio*, *tacita* & *voluptuosa* *concupiscentia*, *terror* cum *ira* *concurrentis*, aut *subito alternans*. *Sanguis* ipse cum *primum* effluit, *admodum fluidus* & *tenuis* & *dilute purpureus* est, & *hac mobili* sua *consistentia* *istiusmodi* *multiplicatae* *profusioni* facile *obtemperat*; quando autem effusus *copia aliqua colligitur* & *inquiritur* ut *plurimum inaequaliter* *mixtus*, *membranosus*, *cinnabarinus* & *parum congrumatus*, sed *diutius semi fluidus* *conspicitur*; inde *liquet* *talem* *eius mixtionem* & *consistentiam*, *sive materialem qualitatem*, *praeter urgentem* nonnunquam *eius superfluam* *quantitatem*, *multum* *ad ominosam* *talem complicationem* *contribuere*. *Loca* *ipsa* *quod concernit*, *unde* *perumpit*, *nunc* *una* *vice* & *tempore* *conjunctim* *specie* & *regione* *plura* *sunt*, ut v. g. *enaribus*, *pulmonibus* & *ventriculo* *uno* *eodemque* *impetu* *profluat*, vel *si* *in uno* *loco* *breviter* *intermittit*, *confestim* *ex alio* *loco*, *etiam* *si* *distanti*, velut *haemorrhoidali* *regione* *alibique* *erumpat*, *eodem* *gradu* *ac* *concitata* *vi* *continuet*, *sicque* *semper* *genium* *suum* *immoderati* *processus* *server*, *donec plurimum* *dilapidata* *sui* *quantitate*, *viribus* *exhaustis* *torus* *talis* *tragicus* *affectus* *mitescere* & *remittere* *teneatur* & *necessitetur*; haec *complicatio* *vero* *variatio* *nunquam* *sine* *morbo* *sa* *molestia* & *sensatione* *succedit*, sed *ipsum* *etiam* *peritum* & *sollicitum* *medicum* *angit* & *affligit*, ut *ex* *arena* *consilium* *capere*, & *ubivis* *medela* *sua* *efficaci* *subito* *succurrere* *debeat*: quae *scena* *communiter* *aliquandiu* *perennat*, *admodumque* *aegrum* *enervat*.

§. III.

§. III.

Hanc sanguinolentam Tragediam præcurrit *clandestina* quædam, sed ramen *sensibilis interna* sanguinis *inquietudo* & ebullitio, fremebunda *vasorum sanguiferorum* extensio, ein heimliches Spannen und Aufstreiben der Adern, *conjunctus* eriam *auctus*, ideoque *in solitus calor* in iisdem *vasis*, & *successive* etiam *in ipsis locis*, unde sanguis erumpit: *pulsus* deprehenditur durus, plenus, magnus & *comparate fortis*: *animus* redditur afflictus, meditabundus, taciturnus & *clanculum sollicitus*: *Somnus* evadit *inquietus*, interruptus & turbatus: *insomnia* turbulenta & interdum *argentina ægrum* inquietant v. g. de igne, sole, sanguine, *cruentatione*, *vulneratione*, *decollatione*, *suppliciis*, *incendiis*, *vestimentis rubris*, de floribus *rubicundis*, quippe *rosis*, quas *VIRGILIUS in Culice*, *HORATIUS Lib. 3. od. 15. purpureas* vocat, de *aurora* juxta *OVIDIUM Lib. 3. metam. purpurea*, de diebus *serenis*, juxta *DURANTIUM Opp. VI. purpureis*: de *genis* juxta *OVIDIUM Lib. 1. tristium*, de ore *labiisque purpureis* juxta *VIRGILIUM Lib. 1. Æneid. v. 594. & Lib. 9. de musto & potulento purpureo, id. Eclog. 3.* quæ *phantasiæ* tale *subjectum* non *delectant*, erigunt & *reficiunt*, sed magis *attentum, sollicitum & suspicax* reddunt: & quemadmodum *animum clandestina & anonyma cura & sollicitudo* inquietat, ita in *corpore* aliqualis *in solitus languor* sentitur: præterea *appetitus* *quadante-nus* *mutatus & inordinatus* percipitur: *excretio alvi* nonnunquam *segnior, siccior*, si non plane *strictior* evadit, & ita *reliquæ excretiones*, videlicet *urinæ & peripheriæ*, quoad *liberum successum & sufficientiam* alterantur: quandoque *palpitatio cordis*, ut & *anxietas præcordialis* extem-

poranea, accelerata & inopinata corripunt: aliquando irruit angens & molestans phlogosis & volaticus æstus: & hæc pathemata interdum conjungunt sese cum *obrigescencia* & strictura clandestina pedum, aut totius superficiæ corporis, concurrente mitiori *borripilatione*, ut eadem subjecta nunc *rubore*, nunc *pallore* suffundantur & compareant. Hæc signa & Pathemata communiter *præparatoria* sunt, quæ *instantem* & proxime erumpentem talem intricatam & complicatam Hæmorrhagiam antecedunt. Quando autem nunc ipse fluxus ingruit & succedit, tunc *Narium Hæmorrhagiam* comitantur dolores capitis, æstus frontis, pulsátilis inquietudo arteriarum in temporibus, vertiginosa & temulenta perturbatio, tinnitus aurium, siccitas oris, modica oculorum caligo, tensio & strictura in nuca, occipite & scapulis, pressio gravativa in fronte & ad narium radicem, pedum & manuum refrigeratio. Si motus in pectore ad *Hæmoptysin* nituntur, tunc scena illic variis congestorio-spasticis insultibus aperitur, hinc oriuntur angustia, stricturæ thoracis, difficilis respiratio, palpitatio & tremula commotio cordis, capitis dolor, restrictio sanguinis ab extremitatibus ad præcordia, animi deliquia, suspecta & clangosa tussis, morbosus vultus aspectus, ordinariorum excretionum deficiens & irregularis successus, tensiva hypochondriorum molestia, variaque individualia alia pathemata. Quando ad *Ventriculum, uterum, hæmorrhoidalia* loca & vesicam reliquasve vias urinarias conatus hæmorrhagicus ruit, tunc tales molestæ sensationes & passionés concurrunt, quæ Vomitus & Mictum cruentum, Mensium & Hæmorrhoidium Processum comitari & *immoderate* ac impatienter urgere solent, hæc autem

autem differentia, ut in hoc *complicato* *schemate* *numero-*
fiora symptomata accumulentur *simulque* affligant, quæ
 insuper immoderatus & *atrocius* ægrotantes cruciant, e-
 nervant & afficiunt. Quodsi denique hic *vagus* hæmor-
 rhagicus insultus *insolitus*, devias & quasi *novas* partes oc-
 cupaverit, tunc communiter *extraordinarii* dolores, ardo-
 res, spasmi, angores, humorosi affluxus, acuræ tensiones,
febriles vagæ commotiones, affectus colici, quasi hypo-
 chondriaci, hysterici, obstructions alvi & urinæ, repenti-
 næ virium & appetitus prostrationes, ominosæ certarum
 regionum *contractiones*, aliarum vicissim *inflationes*, extre-
 morum membrorum rigores, *animi* & *corporis* inquietu-
 dines, asthma intricatum, dolor, anxius tremulusve motus
 cordis, animi deliquia, siccillationes & *connexarum vic-*
inarum partium *consentientes* morbosæ passiones superveni-
 unt, affligunt & *comitatu* quodam eundem prosequuntur.

§. IV.

Tragicus hic affectus nisi facile *breviterque* desinat,
cito post se trahit *subitanam* virium exhaustionem, cre-
 bram *lipothymiam*, aut plane syncopen, ominosam *conta-*
bescentiam, mortiferam impalescentiam, temporum col-
 laptionem, oculorum obscuritatem & quasi contractionem,
 externorum sensuum torporem, *cordis debilem* & tremu-
 lum motum, *angorem*, respirationem tardam, infirmam &
 frigidam, *pulsum debilem*, mollem, inæqualem & intermit-
 tentem, *rationis* eximiam imbecillitatem aut confusionem,
 affectum *soporosum*, aliquando *anæsthesiam*, rigorem, pal-
 lorem, teporem, imo algorem, interdum nonnullarum ex-
 cretionum *involuntarium* successum, *stasin* sanguinis resi-
 dui perpauci *superficialem* cutaneam, *maculis*, ex rubro li-
 vescen-

vescentibus, conspicuam, pedum *semi adematofam* mollem ac laxam refrigerationem, venarum superficialium, ob nimiam *sanguinis* jacturam, invisibilem & collapsam extenuationem, debilem, instabilem ac confusam febrilem lentam commotionem, sudorem anxium, inæqualem, particularem & frigidum aut etiam viscosum & si ægri aliquandiu infirmam vitam protrahunt, brevi intervallo debilem haud diu durantem hecticam, quæ cum diarrhœa & sudore colliquativis miseræ vitæ funestum exitum & finem imponit: quæ singula phænomena ad *Prognosticam* hujus affectus cognitionem spectant. In *demortuis* sub instituta sectione *talia* inveniuntur, quæ in aliis, ob *excessivam* Hæmorrhagiam defunctis, reperiuntur, velut *totalis* fere sanguinis defectus in corde, partibus sanguiferis, vasis majoribus & minoribus, sinibus, *cor pallidum* & flaccidum, nonnunquam *polyposum* pallidum concrementum, aliquando viscosa *pericardii* co hæsiō cum corde, *pulmones* extenuati, valde collapsi, plus solito laxi, *variegatis* maculis conspersi, interdum corruptioni proximiores, aut *pleuræ* alibi adnati, & ita *reliqua* viscera pallida, flaccida, extenuata, quædam contracta, corrugata, hinc inde *exiguæ* extravasationes & collectiones lymphæ serosæ flavescens olidæ, exiles stases sanguinis *internæ*, externum autem corpus pallidum & *emaciatum*, præter multa alia *personalia* signa, phænomena, visa & detecta, quæ abunde testantur, quod hæc *complicata* Hæmorrhagia *toto* suo genio & complexu *semper* *periculosa* & noxia, ut plurimum etiam *funesta* existat. Nec defunt præterea memorabilia *exempla* & *suffragia* observatarum & indicatarum talium *complicatarum* Hæmorrhagarum; ex paulo antiquiori Historia commemorat de
SER-
RES

RES in *Historia Regis Galliae Caroli IX.* hunc Regem Hæ-
 morrhagia, ex omnibus excretoriis procedente, vita fun-
 ctum fuisse, qui Rex cruentas nuptias Parisienses instituit,
 multumque sanguinis profudit: ita *Casp. REJES in Camp.*
Elyf. jucund. quæst. 86. n. 13. Matth. de GRADI Part. I. Pract.
c. 35. recensent historiam de moniali, in qua ob laxum cor-
 poris habitum, undique sanguis emanabat, per sputum, per
 nares, per urinam & per omnia fere evacuatoia, quanti-
 tate 18. librarum: porro *SCHENCKIUS in obs. L. 3. de venis*
& sanguine e Florentini Leudani Martyrologio refert reli-
 giosam ob terrorem hæmorrhagiam lethalem ab omnibus
 corporis partium meatibus passam esse, *obs. 10. & ex Casp.*
WOLPHII observ. propr. de quodam, cui per omnes corpo-
ris meatus, per oculos, aures, nares, penem, sudorem fan-
guis manavit obs. XI. conf. WELSCHIUS Hecatost. 2. obs. 84.
p. 53. de Hæmorrhagia uteri & navium ingenti nocturna re-
pentina. HOLLERIUS in scbol. c. 52. de quodam, qui per al-
vum, vomitum & urinam ex intervallis sanguinem excre-
vit: idem WELSCHIUS Cent. 1. consil. med. XI. de Hæmor-
rhagia navium, Hæmoptysi & Mictu cruento in viro. A. N.
C. Dec. 2. an. 2. obs. 144. de Hæmorrhagia universali & Vol.
V. obs. 21. p. 89. D. D. PRÆSIDIS philosoph. und medicinische
Schriften p. 580. obs. 6. de Hæmorrhagia simultanea e singu-
lis locis hæmorrhagicis in juvene 21. ann. qui ob navium hæ-
morrhagiam, Hæmoptysin, Vomitum sanguinis, Hæmorrhoi-
des & mictum cruentum, mortuus: huc pertinent obser-
vationes in Commerc. licerar. An. 1737. bebd. 6. p. 43. de Hæ-
morrhagiis e multis corporis locis in uno subjecto succe-
dentibus An. 1745. bebd. 40. p. 315. de Hemorrh. ex auribus
oculis, ore, naso & umbilico & bebd. 4. p. 30. de Hæmorrh. e
C
genita.

genitalibus virginis, ore, naribus, oculis, auribus & manibus simul An. 1737. hebdom. 20. p. 154. allegatur ibidem casus de febre Epidemica moliminibus & fluxibus hæmorrhoidalibus, hæmoptycis, nielus cruenti stipata: obtigit D. D. PRÆSIDI casus in virgine 20. annorum, cui ob Mensium suppressionem, narium Hæmorrhagia, hæmoptysis & vomitus cruentus, una vice eodemque tempore contigit: augent hunc numerum practicorum testimoniorum, observationes a Dn. Parente meo suppeditatæ & in sua Praxi annotatæ, quæ in tornatore quodam & nonnullis bajulis evenerunt, quibus, prævia efflorescentia macularum, obscure purpurearum, sanguis e naribus, ore, auribus, pene, ano largiter effluxit, & dum priori sympathetica cura sanguinis fluxus cohibitus fuit, metus subitanæ suffocationis successit, ut narium hæmorrhagia confestim restitui & referari debuerit: Pluribus conf. ZWINGERUS in Theatr. vit. hum. p. 529. SEVERINUS in recond. abscess. natura p. 27. ZUCCARUS in Epidemialib. Hippocr. observat. fol. 181. Amatus LUSIT. Cent. 6. cur. 32. HOCHSTETTER Decad. 1. observ. 8. HEURNIUS de Morbis Pector. LOSSIUS Lib. 2. obs. 10. SCHURIGIUS Siologia p. 182.

§. V.

Præmissa historica complicati hujus ardui affectus relatione, in ordine nunc *Causas* illius significabimus: proxima igitur causa est *perruptio* aut *crepatura vasculi* sanguiferi, præcipue *venosi*, aliquando etiam *arteriosi*, porrecte & plane in *superficiem* alicujus partis discurrentis, per *teneriorem membranaceam texturam obductam*, aut *vestitam*, contingens: ad hanc aperturam *materialiter & objective* aliquando contribuit sanguis *copiosus*, abundans, *superfluus*, aut simul *overosus*, molestus & per alias causas *remotas impulsus*.

pulsivas perquam *inquietus* redditus: huc præterea confert ejusdem massæ sanguineæ *subtilior* & *mobilior* præcipue consistencia, *mixtio* autem *uberior sulphureo-serosa*, in *volatilitatem* & *orgasticam* ebullitionem inclinans, ob quem efficacem *orgasmm* in *fevribus* & *extra* eas interdum ex ejusmodi extremis vavorum ramulis, partim *gracilioribus* tunicis instructis, partim *altius* in superficiem regionum *penetrantibus* & *discurrentibus*, partim per *membranas* superinductas aut *obtectas* subtiliores & *teneriores* sanguis facilius in *variis* locis erumpit: quare sæpe ipsa subjecta *sentiunt*, quam intensa *ebulliente* & *fremente* commotione sanguis in *suis* *vasis* nitatur, qui *acquisita apertura* fortiori & *altius saliente* ac *fervente* gurgite effluit: causa *mediata* est in nonnullis *connata* *proclivitas* aut *dispositio hæreditaria* ad solennes *Hæmorrhagias* tendens & *directa*; qua non modo *prematuro*, sed & *facile* & *vage* hæmorrhagicus talis *Processus* instituitur: deinde in variis subjectis huc cooperatur, *specialis* ille *nisus congestorius*, quo *interna activa* modificatione, & *motus tonici directione* proximiori ad *diversa* loca excretoria sanguis adigitur & adducitur, unde illæ *sensationes tensoriæ*, *angustatoriæ*, *spasticæ* & *ardentes* oriuntur: talis etiam *congestoria* translatio aliquando ad *eum finem* tendit & nititur, ut *molestanz* & aliunde *impulsam* sanguinis *abundantiam* in variis locis impatienter, immoderate, nonnunquam etiam excessive prosequatur, in quo casu ea propter *major* causa & culpa in illo *interno motu exacerbato* quærenda erit: nec oblivioni tradenda erit illa causa convenientis *dispositionis* corporis, sive *instrumentalis* materialis aptitudinis, quando sanguis, imprimis copiosus, in *orgasmm* concitatus, e



vasculis & reliquo corpore *subtilioribus* & *gracilioribus*,
 ubique facile perrumpit, præcipue quando vasa, in *exte-*
riorem regionem discurrentia, ad *faciliorem* rupturam capiendam magis prona & apta sunt, quam *interna* vasa,
 quæ ob *laxiorem* qualitatem magis extendi & *dilatari*
 possunt: ad causas *impulsivas* remotiores referri possunt
imateriales morales, *superius* accusatæ & nominatæ, quæ
superfluum & *molestum* sanguinem exagitant & ad sui *ne-*
cessariam aut *adsuetam* depletionem & *exonerationem* ur-
 gent & allecant, quæ porro hanc excretionem aut *im-*
moderate prosequuntur, aut ad impatientem *excessum* pel-
 lunt & comitantur; cum hisce causis conjungi possunt
materiales variæ causæ, videlicet omnes illæ, quæ *genera-*
tim ad *Hæmorrhagias* disponunt, nimirum admittæ & in-
 gesta *alimenta*, *potulenta*, *medicamenta* & elementa sangui-
 nem aut valde *exæstantia*, aut *alia* fontica & intricata al-
 teratione *commoventia*, quæcunque generosa & spirituoſa
totam massam sanguinis in *aptis* & ad *Hæmorrhagias* di-
 spositis subjectis *orgastico* motu impellunt; aut quando
 post prægressam intensiorem *exæstuationem* subito sensibi-
 bilis *refrigeratio*; imprimis *externa*, corporis commissa
 fuit, ob quam suspectam *retrocessionem* immoderatus *de-*
cubitus ad *varia* loca & organa *hæmorrhagica* contigit:
 accusanda præterea est præcedens magna, ardua, laborio-
 ſa & inconueniens *corporis commotio*, flexura, situatio,
 compressio, coarctatio, concussio & contusio, quo motu
 sanguis, alias ad *liberales* & largiores eruptiones facilis,
 quaquaversus pellitur & adigitur, ut e *pluribus* locis simul
 perrumpere teneatur: nec adeo plane prætereunda illa
 causa est, quando in *certis* subjectis, præter præsentem san-
 guinis

guinis abundantiam, una suspecta ejus spissitudo urget, qualis sanguis, concurrentibus aliis causis intensius commotus huc illuc e variis vasculis perrumpit ac enititur: quo denique illa ardua & memorabilis causa referri meretur, quando in certis subjectis speciales partium & viscerum concretiones, adhæsiones, indurationes, malæ conformationes, polyposæ accretiones, excrescentiæ & obstructions oriæ, quæ non solum liberum & æqualem progressum sanguinis valde turbant & impediunt, sed & eundem ad varia loca insolito affluxu cogunt & agitant: quæ singulæ causæ ad Pathologicam cruenti hujus affectus explicationem pertinent: unde liquet talem subitanæ, vagam, excessivam & inordinatam sanguinis evacuationem minime directe vitæ & sanitati subsidium opemque conciliare.

§. VI.

Supereff ut paucis Practicam hujus casus directionem & tractationem subnectamus: consultum vero nobis videtur, ut prius dissuadeamus præcox illud refugium ad artificialem sanguinis subtractionem, ne malum malo augeamus, & excessivam ejus exhaurientem depletionem ad præcocem funestum eventum præcipitemus, dum præsens complicatus status modo in immoderato & excedente gradu & schemate consistit, ut audax, fallax & anceps tentamen esset, eo usque sanguinem exhaurire, ut ob extremam virium & sanguinis jacturam, Hæmorrhagiæ subsistere & cessare teneantur: deinde evitentur subito activa & efficacia adstringentia, incrassantia, refrigerantia & repellentia, mox in primo fervore & tempore ideoque præmature ordinanda: cavendum etiam est, ab omnibus sanguinem valde commoventibus, calefacientibus, spirituosiss, volati-

volatilibus, concentratis, quæ *prodigam hanc* sanguinis evacuationem *magis* sustentant & augent: nocent irruente & succedente tali Hæmorrhagia omnia illa *cordialia*, roborantia, nervina, motus fluidorum & solidorum valde *augmentia* & impellentia: omittatur *præmaturus* & fugitivus usus *Sympatheticorum*, quæ effectu suo *præcipitatas* & perniciosas alterationes causantur: maxime autem omittatur usus *minus securorum*, intemperatorum & crudorum *narcoticorum*, opiatorum &c. quæ *subitam* mortem *variis* effectibus & consecutionibus causari possunt: absint *experimenta* fallacia, *generalia* & æquivoca, quæ sub communi elogio *vires* restituendi, nihil directe in hac urgente necessitate cooperantur: uti sunt remedia & præparata ex auro, margaritis & indiscretis gemmis prodeuntia: seponantur seorsim, aloetica, myrrhata, camphorata, olea & resinæ, qualitatibus sic dictæ *ætheræ*, quæ hoc in casu magnos tumultus in corpore causantur: removeantur medicamina & regimina *positive diaphoretica*, sanguinem, in hoc casu alias inquietum, magis commoventia; absint *positiva purgantia* & primas vias ullo modo stimulantia, quæ præsentibus *exorbitantes* motus *magis* irritant & in *anomalum* pertinacem gradum conjiciunt: intermittantur omnia reliqua tentamina, quorum operatio *tarda*, nimis lenta atque *debilis* est, quoniam in *mora* periculum est. Hæc & similia in Cura sollicitè fugienda & evitanda sunt. Quoad *positivam* autem medendi methodum sequentes præcipue *indicationes* observandæ & prudenti imitatione administrandæ sunt: *Primo* motus & fluxus immodicus assidue & constanter *temperari* & *leniri* debent: huc quadrant *potiones* (nam *pulveres simplices* *tardius* operantur, quia

quia ob momentaneum virium lapsum diutius in ventriculo latent & morantur ex aquis destill. Plantag. Portulac. Polygon. acac. Cichor. card. utr. chamom. fl. tilia Pcon. Millefol. cum Nitr. depur. Crystall. tartari, Tinct. Corall. fyr. rosar. solutiv. papav. rhcead. Gelatin. C. C. liquid. & Liquor. anodyno mixtae: aut *Emulsiones* ex ejusmodi aquis amygd. dulc. sem. papav. alb. & quatuor frigid. major. C. C. uslo & Nitro purificato paratae: conducit etiam *mixtura* e Tinctur. Corall. Spirit. Nitr. dulc. & Liqueore anodyno: ut & *Gelatina* e rasura ebor. cruribus vitulinis, passulis minor. Syrup. cydon. papav. rh. cremore tartari & tantillo cinnamomi facta: profuit *leniente* scopo *juscula* dilutiora avenacea, herbacea e radd. Cichor. liquir. foenic. Sifari, Scorzon. petroselin. herbb. chærefol. Spinach. heræ alb. heder. terr. plantag. latifol. portulac. borrag. nummular. lactuc. acetos. salv. menth. pimpin. sanguisorb. passul. min. coctæ aut serum lactis c. fl. papav. rh. & chamom. ut & herba polygoni infusum. Mox & *secundo* subordinentur *tonica*, velut dens hippopot. ppt. Corall. rubr. C. C. ust. terra de Carech. Croc. martis, Stahlian. trochisc. de Carabe Tinct. mart. virriol. cum Tinct. Corall. & Liqueore anodyno mixta, nec non Tinctura mart. cydoniat. cum Spir. nitr. dulc. sociata. Interponantur *mitiora roborantia* in forma aquarum destill. e quibus aqua cinnam. cydoniat. aqu. meliss. citrat. aqua fragor. ceras. nigr. Lil. convall. naphæ eminent, aut Syrupi tales analeptici in Portionis a Gelatinæ forma: conducunt etiam blanda, grata & *temperata acidulata*, hortensia magis, quam acerbata & concentrata chymica, excepto diluitori Clyffo sulph. aut spiritu de tribus: Præmissis & continuatis temperan-

perantibus & lenientibus admitti *tertio* possunt *Symp-
thetica*, in *generali* Hæmorrhagiæ cura usitata, modo
Subjecta cum eorum operatione *convenient*. Locum in-
terdum inveniunt *quarto* idonea *Topica* epithemata & ca-
taplasmata *secure* sedantia, discurientia & tonica: præ-
terea *mitigato* arduo hoc affectu *quinto* adhibeantur ro-
borantia aut Tinctura tonica Stahlia, aut quæ in *A. N.*
C. Vol. 7. obs. 15. p. 57. allegatur, videlicet Spiritus Vitrio-
li, cui Spiritus C. C. ad punctum saturationis instillatus,
aut Miscela ex aqua plantag. Rosar. avaro, Tinct. Corall.
& Spir. nitr. dulc. vel e-Tinct. antim. acri, Tinctura Co-
rall. Ess. Succin. & Spiritu nitr. dulc. a flor. aurant recenti-
bus, abstracto. *Denique congrua diæta* eo instruenda est,
ut *defectus* sanguinis & virium successive restituantur, con-
secutio etiam *hectici* affectus, quantum in artis potestate
est, avertatur & præcaveatur: & hæc sunt, quæ brevissi-
mis quoad *Practicam* hujus affectus tractationem expli-
care & commendare placuit. DEO igitur pro præstito
auxilio in præsentii labore devotissimas tribuimus reddi-
musque laudes atque gratias, cui singulos nostros reli-
quos conatus ad salutarem & prosperum commen-
damus successum, usum atque

F I N E M.



NOBI.

NOBILISSIMO ET DOCTISSIMO
DOMINO CANDIDATO
SALUTEM ET FELICITATEM
OPTAT
P R Æ S E S.

ANtiqua est sententia, quod plurimorum animalium, ab homine incipiendo, dein ad multa bruta referendo, origo & generatio ex Sanguine derivetur; inde diæterium innotuit, quod quis ex sanguine natus sit, quoniam hic humor pro vehiculo Spiritus vitalis, pro thesauro virium & vigoris naturalis, pro forma & natura rei, pro vinculo, complemento, nexu & connubio omnium ad vitam & conservationem necessariorum materiarum & facultatum æstimatur, unde notio qualitatis consanguineæ ortum traxit, & per synecdochen natura humana, imo totus homo caro & sanguis vocatur: hæc appellatio præterea mutuo translata fuit in vegetabilium selectorum & nobilium succum alimentosum, generosum & virtuosum; sicut sanguis uvæ & vitis, aut mori in Sacro Codice Genes. 49. v. 11. Deuter. 32. v. 14. ideo etiam Critici in elogium sanguinis multiplicem honorificam ejus etymologiam, citante MARTINO in *Lexico Philolog. tit. Sanguis*, allegare solent: Quam pretiosus autem atque necessarius iste humor est in œconomia vitali, nihilominus fecius natura humana in utroque extremo peccat; aut circa eius nimiam & superfluum accumulationem, dum plurima alimenta in succum & sanguinem convertit, adeoque superfluum & onerosam molem

D

gene-

generat, ut contrariae inde qualitates oriuntur, quando de Sanguine generatim spes concipitur, quod thesaurus virium naturalium esse praesumatur, cum tamen copiosus sanguis vires magis exhauriat & enervet, adeoque Plethorici citius delassentur: altero porro extremo eadem natura in sanguinem suum tanto ardore saevit & grassatur, ut prodige & excessive tantam ejus copiam profundat, ut non ex uno saltim ostio, sed pluribus & plane admirandis locis eundem profequatur; & hanc memorabilem observationem pro themate Speciminis Inauguralis TU DOCTISSIME DN. CANDIDATE, quippe argumentum Pathologico-Practicum selegisti, quo cum nunc Vitae academicae valedicere cum Deo honesto conatu instituisti: Peracto enim hoc curriculo, quod partim in nostra Musarum sede, partim in alia celebri Academia transegisti, sedulo studio & honesto vitae genere laudabiles profectus in Scientia & arte salutari acquisivisti, ut ab Ordine nostro dignus judicatus fueris, impetrandi & legitime usurpandi Honores & Immunitates Doctorales, quibus cum publice condecoratus ipsum artis usum exercere vales: Et cum honoratissimus TUUS DN. PARENS ante septem & viginti annos non solum Doctrinarum & Praelectionum mearum assiduus & ingenuus auscultator & auditor fuit, sed etiam solenni publica disputatione ventilata de Resuscitatione semi mortuorum medica eosdem Doctorales Honores, Jura & Dignitates me Praeside obtinuit & excepit, ita nunc & TIBI de eodem promerito Honore & Dno PARENTI de hac felicitate & filio bene educato, docto & nunc honorato gratulor. Largiatur utrisque Deus omnem benedictio

ditionem, sanitatem, prosperitatem, animi corporis-
ve incolumitatem, optimosque rerum successus, ut de
hac salubri cœlesti directione ac providentia semper
ansam glorificandi divinam bonitatem & testificandi
vestram felicitatem & oblectamentum abunde expe-
riamini: id est quod favente affectu opto & spero.

Vale. Dabam e Museo VI. Iduum Maji A. O. R.

MDCCLII.

MONSIEUR

MON TRES CHER COUSIN

La joye que j'ai de vous voir, au point d'obtenir &
de remporter la plus grande dignité dans la Medecine, est si grande, que je suis assuré, que de tous les complimens, qu'on vous fait sur cet honneur, il n'y en a pas de plus sincere, que le mien. Je vous souhaite, MON TRES CHER COUSIN, du meilleur de mon coeur toutes sortes de prosperité dans ce lieu, où la Providence vous a destiné. Car enfin, quand même, a ce que je croi, je n'auroi pas si tôt, ou peut-être jamais l'honneur de vous revoir; je suis pour-tant persuadé, que cette raison ne vous obligera pas de m'oublier. Pour moi MONSIEUR je prendrai part, tant que durera ma vie, à tout ce qui vous arrivera d'héroïques & de malheureux, pour vous temoigner, que je suis veritablement

MONSIEUR

MON TRES CHER COUSIN

à Halle
ce 8. Mai 1752.

*Votre fidele Cousin & Votre très-obéissant
serviteur*

FREDERIC CHRETIEN STOELLER
Etud. en Philosoph. & Médecine.

Nimm

Simm, Edler Freund, die Ehren-Zeichen,
So munterer Fleiß zurwege bringt!
Du kanst die Crone leicht erreichen,
Die sich geprüffte Müß erschwingt.
Dein Rath bewahre die Gefunden,
Sey auch der Kranken Hülf und Hort!
Dein Wohlseyn wachse alle Stunden,
An dem Dir auserlesnen Ort!
Denn dencke noch bey Freund und Glücke
An einen treuen Freund zurücke,


der sich nennet,
Johann Heinrich Kämpffe,
b. G. G. B.

FLoribus indutum ceu ver post frigora ridet
Gloria sic duro parta labore venit.
Affiduo medicas studio coluisse juvabat
Doctrinas, jam jam tempora laurus habet.
Lætus, Amice, TIBI, Doctissime, grator honorem,
Et precor ex animo: Cresce, vigesce, Vale!

*Hiscæ prænobilissimo atque doctissimo Domino
Doctorando, Amico æstumatissimo, gratula-
ri voluit, debuit*

FRIDERICUS REGIUS,
Halensis Med. C.






00 A 6399


ULB Halle 3
002 916 584



sb







DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE
**HÆMORRHAGIARUM
COMPLICATIONE,**
Von Blutflüssen welche aus verschiedenen Orten
zugleich ausbrechen,

Quam
AUSPICE DEO PROPITIO,
Et Consensu atque Auctoritate Gratiſſa Facultatis Medicæ,
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,
PRÆSIDE
DN. D. MICHAELE ALBERTI,
SACR. MAJ. REG. BORUSS. AULICO ET CONSIST. MAGDEB.
CONSILIARIO SENIORE, MED. ET PHILOS. NATUR. PROFES-
SORE PUBLICO ORDINARIO, ALUMNORUM REGIORUM
EPHORO SENIORE ORDIN. MEDIC. H. T. DECANO,
FACULT. MEDICÆ SENIORE, DECANO SUO SPECTATISSIMO,
Domino Patrono, Præceptore, ac Promotore ſuo, omni honoris cultu proſequendo
PRO GRADU DOCTORIS
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS
DOCTORALIBUS LEGITIME MORE MAJORUM IMPETRANDIS,
ANNO MDCCLII. D. MAIL.
HORIS LOCOQUE CONSUETIS
PUBLICÆ AC PLACIDÆ ERUDITORUM VENTILATIONI SUBJICIT
RESPONDENS
GOTTFRIED CHRISTIAN WILFROTH
BARBYENSIS SAXO.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,
TYPIS JOH. CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.